



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

A. Canonico Sanctæ Sophiæ Constantinopolitano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ARCHIEPISCOPO SENONENSI,
& Nivernensi Episcopo, & magistro Roberto de Corzon Canonico Parisiensi.

fol. 19
Episcopi
Lingonensis
Canonici de
Lan.

Venerabilis frater noster Lingonensis Episcopus quædam nobis contra G. Canonicum Lingonensem Presbyterum de Musfiaco per suas litteras intimavit quæ sapere præsumuntur hæreticam pravitatem; quarum tenorem de verbo ad verbum vobis sub bulla nostra remittimus interelatum. Unde cum dictus Episcopus eundem G. suspectum de hæresi habuisset, coëgit eundem cautionem tam juratoriam quam fideiussoriam exhibere quod terminis quos sibi præfigeret ejus se conspectui præsentaret, prout deceret super his omnibus responsurus. Sed cum dictus Episcopus apud Barrum super Secanam die quo terminum assignarat sibi cum multis viris religiosi & prudentibus, quos ad hoc convocaverat, convenisset, idem G. juramenti religione contempta, nec comparuit, nec suam absentiam excusavit. Quare sæpedictus Episcopus, pensatis omnibus quæ tam prima die quam secunda servato juris ordine, ac præ oculis habito Dei timore, acta fuerant coram eo, & toto processu diligenti deliberatione pensato, de consilio & consensu tam religiosorum quam jurisperitorum omnium qui assistebant eidem, sæpedictum G. super his de quibus fuerat accusatus pro convicto decrevit habendum, ipsum sententia diffinitiva pronuntians tamquam hæreticum condemnandum, & sententiam in scriptis redigi faciens, & multorum sigillis, Episcoporum videlicet, Abbatum, & Archidiaconorum, reservari munitam. Dicitur autem G. in nostra præsentia constitutus proposuit quod præfatus Episcopus eum post appellationem ad nos interpositam ceperat, & præfatam præstare compulerat cautionem, nitens se multipliciter excusare. Nos igitur attendentes quod ea quæ circa ipsum fuerint inquirenda vos plenius poteritis indagare, illum ad vos duximus remittendum, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatinus nisi usque ad festum Pentecostes comparuerit coram vobis, super his quæ sapiunt hæreticam pravitatem suam sufficienter, si poterit, innocentiam ostensurus, vos sublato cujuscumque contradictionis & appellationis obstaculo exerceatis in ipsum rigorem ecclesiasticæ disciplinæ, quod si se ostenderit inculpabilem, ejus innocentiam opprimi non sinatis, cum sincera diligentia & diligenti sinceritate in negotio fidei processu-

Tom. II.

ri. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani xvi. Kal. Aprilis, anno quartodecimo.

MAGISTRO GILIBERTO
Canonico sanctorum Apostolorum
Constantinopolitano.

Ustis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, præbendam quam in Ecclesia sanctorum Apostolorum Constantinopolitana es canonicè assecutus, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. usque incursum. Datum Laterani xi. Kal. Aprilis, anno quartodecimo.

Epist. 16.
Confirmavit
ei præbendam.

A. CANONICO SANCTÆ
Sophiæ Constantinopolitano.

Solet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinati, præbendam quam in Constantinopolitana Ecclesia obtines, sicut eam &c. ut in alia usque incursum. Datum ut in alia per totum.

Epist. 17.
De eodem arguimento.

HVGONI ABBATI
monasterij sancti Salvatoris Karroffensis,
ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulari vitam professis in perpetuum.

Venerabilium locorum cura nos admonet de eorum perpetua securitate tractare, & quæ pro ipsorum quiete rectè statuta sunt cooperante Domino stabilire. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Salvatoris, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri secundi, Urbani secundi, Calixti, Lucij secundi, Anastasij, & Alexandri tertij, prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus &c. usque perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum &c. usque per-

Epist. 18.
De confirmatione privilegiorum.

T r r ij